

omnia principia individuationis ejus tam intrinseca, quam extrinseca, sed solum intrinseca, quasi ex quibus componitur; sicut ad cognoscendum quidditative hoc granum tritici non est necesse individualiter cognoscere pluviam, ex cujus aqua terra fœcundata illud protulit: et philosophi habuerunt scientiam de motu cœli, et de hoc mundo, et non cognoverunt tempus in quo incepit, existimantes fuisse ab æterno; et tempus pertinet ad individuationem, et sic de aliis. Et isti dicunt, quod quia creatura possibilis est quid extrinsecum potentia Dei, ut consideratur distincta a Deo quamvis in Deo, ideo potest cognosci omnipotentia quidditative non cognita creatura in particulari.

XLVIII. Hæc solutio plura involvit in quibus non est in præsentia commorandum, sed sufficit ostendere, quod non satisfacit intento argumenti; tum, quia non magis intrinseca est possibilitas in communi respectu potentia, quam possibilitas hujus creaturæ respectu hujus individui omnipotentia; tum, quia argumentum procedit de divina potentia secundum virtutem, et virtualitatem, secundum quam est potens producere hanc creaturam, et illam in se virtualiter continere, et per ideam repræsentare, quæ omnia intrinseca sunt potentia. Et si cognoscantur omnia hæc secundum quod comparantur ad omnes creaturas posibles in particulari, arguit D. Thomas comprehensionem; et argumentum intendit, quod illa virtualitas debet cognosci, et penetrari per cognitionem quidditativam per comparisonem ad omnes creaturas in particulari, si quidem ex defectu cujuscumque illarum deficit quidditas potentia, quæ quidditative cognoscitur, ex quo consequentia D. Thomæ deficit: unde hæc solutio

non tetigit punctum argumenti.

XLIX. Quarto, denique alii respondent argumentum deficere, quia transit de genere entis ad genus intelligibilis intendendo, quod quia potentia deficeret in genere entis, si deficeret hæc creatura a possibilitate in re, ita si deficeret creatura a cognitione quidditativa, deficeret etiam ipsa potentia: quæ consequentia nulla est, quia bene possunt aliqua ita essentialiter connecti in essendo, quorum unum sine alio persistere nequeat, et non connecti in cognoscendo, quia cognitio est actio præcisiva, et potest attingere unum, et non aliud.

L. Hæc solutio etiam deficit, et non satisfacit si amplius non addatur, quia universaliter non est verum, quod semper sit mala consequentia a genere entis ad genus cognoscibilis, quia in Deo non potest unum attributum sine alio videri, neque essentia sine Personis propter connexionem essentialem, quam habent inter se per cognitionem quidditativam videntium Deum in se (ut probavimus in materia de visione disputatione xv, articulo primo) ubi est bona consequentia a genere entis ad genus cognoscibilis; debet ergo assignari aliud principium ratione cujus deficiat consequentia in præsentia, quo addito poterit hæc solutio sustineri ut statim videbitur.

LI. Vera solutio colligitur ex doctrina tradita tam in hoc articulo, quam in præsentia, scilicet, quod comprehensio supponit et includit cognitionem quidditativam, et addit, quod sit adæquata objecto; et adæquatio consistit in eo, quod penetrat totaliter virtutem, et omnes effectus, qui sunt in ejus potentia, et sicut D. Thomas i part. quæst. xii, art. vii distinguit duplicem comprehensionem, alia quæ est rigorosa, et est quæ totaliter penetrat ob-

jectum; alia quæ solum est apprehensio, et dicitur comprehensio comparative ad insecutionem viæ, et hæc est omnis visio beata creaturæ; sic distinguenda est duplex cognitio quidditativa Dei in se, una adæquata, quæ est comprehensio, quæ non potest negari esse quidditativam, si quidem penetrat quidditatem, et ejus virtutem, et est ipsa visio increata Dei; alia inadæquata, et hæc est omnis visio creata Dei in se, et dicitur inadæquata comparative ad comprehensionem, et in eodem sensu, quod sicut comprehensio est adæquata, quia omnem virtutem penetrat, ita inadæquata dicitur, quia non penetrat omnem virtutem potentia, neque omnes effectus, qui solum sunt in potentia virtualiter, non quia aliquod prædicatum formaliter in Deo existens absolutum, vel relativum illam lateat; iste enim modus inadæquationis ponitur a Scoto, et aliis asserentibus, quod potest unum attributum sine alio, et essentia sine relationibus videri a beato, quem nos impugnavimus i part. in materia de visione, disp. xv artic. i. Igitur respectu solum possibilium, quæ solum sunt in potentia, vel in virtute causæ procedit hæc distinctio quidditivæ cognitionis per adæquatam, et inadæquatam. Per quod etiam excluduntur futura, cum quibus non est connexio, et quamvis omnia futura deficiant, non deficeret hæc potentia, et ideo non sunt ad intentum argumenti.

LII. Ex his ad argumentum patet solutio negando illam propositionem in qua nititur, scilicet, videns quidditative divinam potentiam debet cognoscere omnia, cum quibus ita connectitur, quod sine illis, vel sine aliquo illorum non esset hæc omnipotentia, quia ista propositio absolute est falsa; vel potest distinguui, si quidditative, et adæquate

cognoscat omnipotentiam, concedo; si quidditative inadæquate, nego; et est dicere si quidditative comprehensive, concedo; si solum quidditative, nego: vel aliter si ly omnia solum extendatur ad ea, quæ formaliter sunt in Deo, concedo; si distribuatur ad omnia, quæ sunt in potentia, nego. Et quamvis cum illis ita connectatur, quod quolibet possibili deficiente deficiat hæc potentia, non bene infertur, quod ut videat quidditative hanc potentiam, debeat videre omnia possible in particulari, cujus contrarium intendit argumentum; sed nec probat, nec probari potest. Stat enim bene, quod hanc omnipotentiam quidditative videat aliquis, et non penetret totaliter illam; et ratio hujus est illud principium D. Thomæ, quod infinitum nequit a finito adæquari; bene tamen infinitum potest a finito attingi. Sic infinitum cognoscibile, quale est potentia Dei, potest quidem attingi a visione quidditativa, et non adæquari.

LIII. Sicut dicentes, quod unum attributum sine alio, vel essentia sine Personis potest videri quidditative a beato, concedunt, quod videretur hoc individuum attributum, vel ista individualis essentia alio attributo, vel Personis non visis, quamvis ita connectantur, quod unum attributum sine alio non possit persistere, neque ista essentia sine istis Personis a parte rei; sic multo melius nos dicimus, quod potest videri hæc omnipotentia non visa hac, vel illa creatura possibili, qua deficiente non esset hæc omnipotentia, sicut qui cognosceret solem quidditative, non deberet cognoscere omnia, quæ in terra potest producere; vel sicut qui cognosceret Petrum quantum ad septem conditiones individuantes, quas non habet unus, et alter cognosceret illum quidditative, et individualiter,

et non tamen ideo deberet cognoscere omnes filios, quos potest generare, qui sunt in virtute, vel in potentia ejus. Propter quod D. Thomas hic art. II, et I part. quæst. XII, art. VI in corpore negat, quod videntes Deum per essentiam videant omnia, quæ sunt in ejus potentia, et simul utrumque componit negare cognitionem omnium possibilium, et affirmare visionem Dei in se individualiter.

LIV. Hæc solutio potest etiam explicari ex eo quod quando aliquod objectum est cognoscibile secundum plures inæquales gradus cognoscibilitatis, potest secundum unum gradum quidditative cognosci, et non secundum alium, quia ex cognitione inferioris non inferitur cognitio superioris; non enim qui potest ad minus, potest majus. Hæc autem est differentia inter perfectiones formaliter existentes in Deo, et inter virtualiter existentes, quod omnia quæ in Deo sunt formaliter habent eandem cognoscibilitatem, quia sunt ejusdem actualitatis actus puri, et ejusdem indivisibilis esse, propter quod probabimus non posse unum sine alio videri I part. quæst. XII, disput. XV, art. I; quæ vero sunt virtualiter, habent diversam cognoscibilitatem, quia juxta inæqualem perfectionem creaturæ possibilis inæqualis cognoscibilitas distinguitur in virtute, seu potentia in qua virtualiter existit, et qui perfectiorem creaturam, vel plures penetrat in divina virtute, debet habere perfectiorem visionem, et perfectius lumen. Propter quod sæpe S. Thomas docet magis beatum plures cognoscere ex possibilibus, ut I part. quæst. XII, art. VIII; argumentum ergo deficit dum intendit probare quemlibet beatum omnia possibiliter debere cognoscere; hoc enim est conari, quod sint æquales omnes cognitiones quidditative Dei,

quod est absurdum, et quod non sit inæqualitas inter perfectiorem, et inter imperfectiorem creaturam quantum ad cognoscibilitatem, quod est contra rationem; et quod non magis reluceat virtus divina in pluribus, et perfectioribus creaturis, quam in una solum, quod adhuc in causis creatis constat esse falsum.

LV. Secundo, potest responderi ad argumentum distinguendo aliter illam propositionem, qui cognoscit quidditative omnipotentiam debet cognoscere omnia sine quorum aliquo hæc omnipotentia non esset, distinguo; si illa omnia essent cognoscibilia intuitive, concedo; si solum abstractiva, nego. Et licet visio beata sit intuitiva respectu aliquorum ut formaliter insistentium in Deo, tamen respectu possibilium non est nisi abstractiva, quiaabilia non habent existentiam requisitam ad intuitionem. Cum autem cognitio abstractiva sit præcisiva, ideo potest inter possibiliter, quamvis cum illis connectatur omnipotentia, præscindere, et unum sine alio cognoscere, et potentiam sine pluribus illorum, et cum hoc addito potest sustineri quarta solutio.

LVI. Hæc solutio ut firma sit debet ad præcedentem reduci, et eodem fundamento fulciri; tum, quia jam involvit differentiam immediate positam inter ea, quæ formaliter existunt in Deo, et quæ virtualiter solum existunt ut possibiliter, quod est intuitiva illorum, et istorum abstractiva; tum, quia si inquiras quare visio beata creata, quæ abstractiva attingit rationem communem possibilium, non potest ab illa præscindere, respondebitur, quod quia connectitur cum ratione potentia formaliter in Deo existente; et ideo videndo rationem formalem potentia non potest non attingere rationem communem possibilium

cum illa essentialiter connexam; particularia vero possibiliter solum habent connexionem cum virtualitate, quæ non videtur, nec penetratur quoad omnia. Et si iterum inquiras, quare non penetratur, si quidem cognitio Dei quamvis abstractiva penetrat, et necessario omnia particularia cognoscit, solum respondent, quod quia abstractiva increata est adæquata, et comprehensiva, quia infinita; creata vero, quia finita est inadæquata; ex quo constat, quod hæc solutio in substantia non distinguitur a nostra nisi in modo loquendi.

LVII. Dices: Qui videt quidditative hanc divinam potentiam, et essentiam, videt illam non quomodo-cumque, sed ut hanc, hoc est, ut distinctam ab illa alia, quæ esset, si aliqua particularis creatura possibilis deficeret; ergo cognoscit illam creaturam particularem. Antecedens probatur, quia ex vi visionis beatus posset formare judicium, quod hæc omnipotentia non est illa alia, quæ in tali casu esset. Consequentia probatur, quia nequit cognosci aliquid ut distinctum ab alio, si non cognoscatur distinctivum, quia esse distinctum est effectus formalis distinctivi, et quia distinctivum in eodem sensu est constitutivum, et de essentia, et quidditate talis rei; ergo nequit quidditative cognosci ut distincta sine illo distinctivo.

LVIII. Nec sufficit respondere, quod statim se offert, scilicet, quod alia omnipotentia est ens chimæricum, et fictitium; hæc vero, quæ de facto videtur est ens verum, et ad cognoscendam hanc ut distinctam ab alia sufficit cognoscere rationem entis veri, quia per hanc rationem primo, et immediate distinguitur ab ente chimærico contento sub eadem ratione analogam communi: sicut ad cognoscendum

Petrum, ut distinctum a lapide non est necesse cognoscere conditiones individuantes Petri, sine quarum aliqua non esset Petrus, sed sufficit cognoscere rationem sensibilis, per quam primo distinguitur a lapide insensibili sub ratione communi corporis.

LIX. Hoc inquam non sufficit; tum, quia licet alia omnipotentia, vel essentia divina, quæ tunc esset, de facto sit ens chimæricum, et fictum, et si absolute proferatur existens, esset fingere chimæram; tamen ex hypothesi argumenti, non est chimæra, nec ens fictum, quia argumentum supponit, quod in tali casu esset ens verum divinum; et quamvis suppositio sit impossibilis, tamen semel admissa suppositione jam admittitur ut possibilis, et ut vera, alias non admittitur casus; sicut cum inquiratur si Spiritus sanctus non procederet a Filio, si distingueretur ab illo, licet de facto excogitare Spiritum sanctum non procedentem a Filio sit chimæra, tamen sub conditione si non procederet, bene respondetur, quod non distingueretur a Filio, ut respondet S. Thomas, et in tali casu esset ens verum, si quidem esset idem cum Filio. Et si inquiratur distinctivum, non bene respondebitur, quod est ratio entis veri, et ficti, quia in tali casu uterque ponitur ens verum, qui modo est, distinctus a Filio propter veritatem, et qui in tali casu non distingueretur a Filio, quia esset idem ens quod Filius. Sic in præsentia.

LX. Tum, quia licet alia potentia sit ficta, tamen ista creatura particularis possibilis ita pertinet ad hanc omnipotentiam, quod deficiente creatura deficeret potentia a parte rei, hoc admittitur; ergo in tali casu, vel resolveretur in nihil potentia, vel in non ens, vel transiret, et transmutaretur in aliam potentiam,

vel ad definitionem hujus alia potentia resultaret vera, et realis, aut nulla; si esset alia vera, et realis de illa procedit argumentum, quod distingueretur tamquam ens verum, et propter defectum hujus creaturæ: si esset nulla potentia, et penitus resolveretur in nihil ista, quæ de facto est, adhuc est idem argumentum: Per quid, vel per cujus defectum amisit esse, si propter defectum hujus creaturæ, ut supponitur; ergo hæc creatura pertinet ad veram existentiam hujus potentiæ: restat ergo respondere quare qui hanc potentiam quidditative videt, non cognoscit creaturam siquæ qua resolvitur in nihilum potentia.

LXI. Respondetur igitur (missa hac solutione) quod illa propositio est falsa: Qui videt quidditative hanc omnipotentiam debet illam videre ut hanc; vel distinguenda est; si ly ut sumatur specificative, concedo; si reduplicative supra radicem distinctionis, nego. Ad probationem concedo, quod beatus format iudicium, quod hæc omnipotentia non est illa, quæ esset in tali casu; sed nego, quod ad hoc iudicium sit necesse cognoscere creaturam penes quam sit distinctio. Quod patet, quia nos in via formamus ideo iudicium solum propter fidem, vel theologiam, et dicimus, quod hæc potentia, quam credimus, non esset illa alia, quæ deficiente creatura possibili esset; sufficit ergo ad cognitionem quidditativam hujus potentiæ cognoscere absolute, seu specificative illam, quamvis non penetretur totaliter ejus virtus, ut explicatum est.

LXII. Pro cujus majori evidentia notandum, quod hæc omnipotentia æqualiter desineret esse si deficeret hæc creatura, aut alia, vel alia, et sic de singulis possibilibus, quia eadem est ratio de omnibus, et similiter illæ potentiæ inters e dis-

tinguerentur. Itaque tot omnipotentia essent distinctæ inter se, et ab ista, quæ modo est, quot creaturæ possibles deficerent, et cum creaturæ possibles sint infinitæ synkategorematicæ, ita in infinitum posset poni conditionalis: Si ista, vel ista, etc. deficeret in infinitum, alia, et alia potentia esset. Ex quo patet, quod si esset necessarium cognoscere hanc potentiam ut hanc, hoc est, ut distinctam ab illa, quæ esset deficiente hac creatura possibili, similiter esset necessarium cognoscere illam ut distinctam ab omnibus aliis infinitis potentiis, quæ essent, si singulæ possibles creaturæ deficerent; et sicut inferitur, quod deberet cognoscere hanc creaturam possibilem, similiter inferitur, quod deberet cognoscere infinitas creaturas possibles propter eandem rationem, et cum finita cognitio hoc non possit, ut patet ex dictis, constat quod vis argumenti deficit.

LXIII. Supponit enim, quod visio est finita, et creata, et intendit quod cognoscat infinita inæqualia in perfectione, et cognoscibilitate, quia probando de una creatura, ut distinctiva, probat similiter de omnibus possibilibus. Præterea involvit aliam falsitatem, quia supponit, quod videns hanc omnipotentiam cognoscit omnia alia possible, in quibus hæc omnipotentia conveniret cum alia, si deficeret hæc sola creatura possibilis, assignata, verbi gratia, hæc formica, penes quam solum distinguerentur, quod tamen est falsum, imo et impossibile, quia illæ sunt innumeræ creaturæ, et prope infinitæ, et finita, et limitata cognitio non potest illas attingere.

LXIV. Et si dicatur, quod hoc non supponit, deficit argumentum a principio, quia a principio intendebat, quod cognoscebantur omnes creaturæ possibles, ut probaret,

quod non sequitur comprehensio ex illarum cognitione, et ad hoc utebatur hoc medio, quod solum ista creatura deficeret, et conatur probare, quod debebat illam cognoscere propter connexionem, quia deficiente illa, deficeret potentia: unde constat, quod supponit, quod omnia alia possible cognoscebantur.

ARTICULUS III.

Qua ratione anima Christi omnia futura cognoscat in Verbo?

I. Duas difficultates involvit hic articulus scitu dignas, altera est, ut ponderemus rationem D. Thomæ in articulo secundo, assignantis animæ Christi visionem omnium futurorum in Verbo, eo quod quilibet beatus videt ea in essentia divina, quæ pertinent ad suum statum; hæc enim causalis vulgarem illam, sed non levem continet difficultatem, quomodo pertineat ad visionem cujuslibet beati ea videre in Verbo, quæ pertinent ad suum statum, cum possint pertinere ad statum inferioris beati plura, quam ad statum superioris; unde sequitur, quod inferior beatus plura videat in Verbo, quam superior, quod est esse magis beatum.

II. Altera difficultas est, qua ratione lumen gloriæ habeat manifestare futura, quæ pendent ex libero decreto Dei; decreta autem libera non possunt cognosci ex vi penetrationis essentiæ divinæ, ut quidditas, et virtus effectiva est, sicut neque ex penetratione alicujus creaturæ rationalis videri possunt cogitationes cordis; sed indiget aliqua revelatione speciali, qua Deus manifestet beato suam voluntatem: unde difficile est explicare, quid datur lumini gloriæ, vel quid requiratur, ut ex vi

visionis videantur libera decreta Dei, et communiter res futuræ.

III. Circa primam difficultatem duplex est sententia, et multiplex explicatio. Prima sententia est beatos videre in Verbo ea, quæ pertinent ad suum statum in sensu causalis, non formali, id est, non videre ipsam formalem visionem Dei in Verbo, sed ex illa visione causari talem cognitionem, eo quod ex vi visionis illius debetur beato, ut fiant ei revelationes extra Verbum de his, quæ pertinent ad suum statum, unde potest illa cognoscere successive, quia possunt in diversis temporibus fieri istæ revelationes, neque est necesse, quod a principio omnia ei revelentur. Quæ sententia habet duplicem limitationem, aliam a Cajetano hic articulo II; aliam a patre Suarez hic disp. xxvi, sectione III.

IV. Cajetanus asserit, quod omnia, quæ pertinent ad statum beati pro eo tempore, quo illi confertur beatitudo, videt formaliter in Verbo; quæ vero deinceps successura sunt solum per revelationes extra Verbum cognoscit; quæ tamen ex vi visionis beatificæ eis debentur dicuntur videri per visionem beatificam causaliter, non formaliter.

V. Pater Suarez inquit, quod beati ex vi visionis formaliter in Verbo vident omnia, quæ pertinent ad suum statum in ea quantitate, quæ correspondet lumini dato ex meritis suis, quod si ad videnda omnia illa, quæ ad suum statum pertinent, non sufficiat lumen datum ex meritis suis, non videbunt omnia formaliter, sed solum præcipua, reliqua vero causaliter: et quia Christus Dominus habet visionem divinam sine meritis titulo hæreditatis naturalis, et si ex meritis habuisset, adhuc illa perfectio, et multo major esset illa debita, si ad illam merita sua ordinasset, ideo per ipsam visionem Dei formalem videt omnia,